

iniuriamque horum temporum nobis nimium et nimium comper-
tam ingemuistis. Verum inter alia gravia et luctuosa hunc do-
lorem quasi capitalem deplorastis studium lumenque litterarum
penitus apud vos^e occidisse nec minus disciplinam moralem egregie
apud vos antiquitus institutam situ quodam et negligentia nunc
dissolutam iamiamque obisse, immo sepultam esse. Quas ob res
adolefcentem vestrum officine^f nostrę erudiendum informandumque
tradidistis, ut duo pignora vestra, mores dico litterasque, per eum
vobis Dei gratia aspirante resuscitentur. Sed amici vestri veteres
illi notique columbi, a quibus cetera necessaria sperabat, cum
promissa sua, opinionem vestram, expectationem pueri fefellissent,
ego destitutum ab omnibus excepi, exceptum teneo faveoque.
Nec dubito liberalitatem^g vestram mee sedulitati responsurum e
suo honore. Ad hoc etiam ipse adolescens ea nobiscum studet
instantia, ea nobiscum vivit modestia, ut et meam curam impen-
sius erga se excitaverit et publicum amorem omnium egregie sibi
conciliaverit. Quodsi favor indulgentie vestrę nec mihi nec sibi
defuerit, confidenter id vobis polliceri ausim et meo labori et vestro
eum per Dei gratiam satisfacturum desiderio.

20.

*R. (Bamberger Vitztum?) an den Bischof (Otto) von Regens-
burg: gratuliert zu seiner Weihe und bittet um eine Unter-
stützung zur Milderung der durch den Königsdienst ent-
standenen Not. (1063 etwa August—September.)*

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 53.

Domno Radisponensis^a ecclesię pontifici, cui sicut tota servit
in usu suo fortuna seculi, ita ad spiritualium divitiarum perfectio-
nem plenitudo muneris est collata superni, R. omnibus eius votis
atque preceptis se semper sine fatigatione obsecundantem.

In omni hac rerum mutatione temporalium verba Dei inmu-
tatum semper suum tenent eventum, quia sic fixum est in corde
Dei verbum eius unigenitum, de quo tanquam efficiente ista pro-

19. ^e) nos c. ^f) officine c. ^g) libertatem c.

20. ^a) indisponensis c.